

tus bombardarum ab aere subterraneo profectus. Tertio, in terra inter apostolos ac mulieres Christo addictas, quæ viso Domino pleno gaudio ecurrerunt ad discipulos, dicentes: *Vidimus Dominum.*

V. Quia hodie cælum apertum, ita saltem ut patribus et latroni etsi nondum inhabitare, introspicere tamen concessum sit et videre omnia bona, quæ in cælo sunt, quia scilicet lumine gloriæ roborati ad beatificam Dei visionem elevati sunt. In hunc sensum ait S. August. ser. I. in hoc festum: *Ignem illam romphæam et paradisi januam, quam nullus potuit effringere, hodie Christus cum latrone reseravit.* Hodie arca foederis duce transierunt per Jordanem in terram promissionis primi omnium filii Ruben et Gad, et dimidia tribus Manasse, hoc est, sancti veteris legis, quos secuti deinde sancti novæ legis, Jos. IV. Hodie impletum, quod per os Isaïæ dixit Deus Pater Filio suo: *Dedi te in fœdus populi ut suscitates terram* (id est, ab infernis evocares patres, terræ incolas) *et possideres hæreditates dissipatas*, (id est, cœli mansiones, per malorum angelorum ruinam dissolutas) *ut diceres his, qui vinciti sunt: Ecce; et his, qui in tenebris sunt: Revelamini*, Isa. XLIX. Hodie enim (ut exponit S. Anselmus, in elucidario) vinciti illi e carcere in libertatem, e tenebris in cœlestis gloriæ lumen educti sunt, ita ut ipsum Deum et omnia, quæ in eo velut speculo relucent, primo et uno intuitu aspicerent. Quanto impletos gaudio, quanta raptos admiratione putamus cum in abyssum illam et altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei oculos defixerunt? Hi ergo sunt primitiæ cœli et quadraginta pugnatorum millia (Jos. IV.) qui nos præcesserunt ad terram fluentem lacte et melle. Quo illi præiverunt, secuturos nos speramus; ideoque intendamus vires ut assequamur. Nemo nostrum sit, qui cis Jordanem remanere, in hoc sæculo; nemo qui postremus esse velit. Solent in quibusdam pagis hodierno die certare cursu agricolæ pro paschali favo. Favus noster melleus, cœlestis beatitudo est, terra melle et lacte fluens; illuc nos curramus et vincere contendamus, etc.

## CONCIO II.

QUA RATIONE CHRISTUS VICERIT MUNDUM, DÆMONEM, PECCATUM, MORTEM, INFERNUM.

I. Vicit mundum: 1. Subjiciendo eum per fidem. 2. Abstrahendo ei amatores. — II. Vicit diabolum: 1. Alligando eum. 2. Sinendo eum tentare: 1. Ad nostram utilitatem. 2. Ad Dei gloriam. — III. Vicit peccatum: 1. Merendo id in baptismo. 2. Per gratiam et poenitentiam. — IV. Vicit mortem: 1. Quia a morte surrexit nosque suscitavit. 2. Quia mors facta est janua vitæ. 3. Quia exercitum fortium. — V. Vicit infernum: 1. Quia patres e limbo reddere coactus. 2. Quia constrinxit ei fauces.

## THEMA.

*Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.* Psal. CXVII.

Hodiernæ diei jubilum et lætitiâ inter Christianos, prævidisse videtur in spiritu S. David, quando Ps. CXVII. scripsit: *Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum.* Quæ sit ista vox, subjungit: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.* Sed qualis, o David, illa virtus et exaltatio? *Lapidem quem reprobaverunt edificantes*, inquit, *hic factus est in caput anguli.* Et ad extremum: *Hæc est dies quam fecit Dominus; exultemus et lætemur in ea.* Quibus verbis non obscure victoriam Christi describit, et triumphum: victoriam in passione, triumphum in resurrectione. Vicit autem Christus quinque acerrimos hostes, mundum primo, Joan. XVI. *Confidite, ego vici mundum.* Secundo, dæmonem: *Expolians principatus et potestates traduxit confidenter*, Col. II. Tertio, peccatum: *Ubi est, mors, stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est*, I. Cor. XV. Quarto, mortem: *Ubi est mors victoria tua?* id. Quinto, infernum: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne*, Ose. XIII. Cæterum dubitet aliquis, quomodo victi sint hostes isti, cum etiamnum dominari videantur. Annon mundus hodie quoque regnat in maligno positus? Annon infestat dæmon et innumeros illaqueat ut ei serviant et cultum deferant, magi præsertim et sagæ? Annon regnat usque hodie peccatum in cordibus mortalium? Annon omnes morimur, quemadmodum et ante Christum? Annon etiam infernus quotidie innumeros absorbet, qui in peccatis moriuntur? Vera sunt hæc omnia, sed interim verissimum est, quod Scriptura asserit, victoriam reportasse Christum et quidem gloriosissimam, de mundo, dæmone, peccato, morte, inferno. Audite qua ratione.

I. Vicit mundum. Primo, subjiciendo eum sibi per fidem, abstrahendo ab idolorum cultu; quod nemo alius unquam facere poterat. Tametsi enim multi viri sancti inter gentiles vixerunt, Abraham inter Chaldæos, Joseph et Hebræi inter Egyptios, Tobias inter Assyrios, Daniel inter Babylonios, etc. non potuerunt tamen per eos abstrahi gentiles a suis persuasionibus et idolis, usque ad Christum, qui solus id præstitit, effecitque ut reges et imperatores orbis, abjectis et combustis idolis ac fanis suis, ad Christi crucem et pontificum pedes se abjicerent; absolutionem et benedictionem ab iis humiliter flagitarent; imo Romanorum imperatores usque in hodiernum confirmationem electionis suæ a sede Romana peterent. Effecit inquam, ut imperatores honori sibi ducerent, si monachos pauperulos ad mensam adhibere, oculis cernere, salutare, per litteras alloqui possent, ut imperator Constantinus honori sibi duceret, si ad pedes piscatoris, id est, præ foribus templi S. Petri Constantinopoli sepulturam suam haberet, etc. Effecit ut ditissimi quique ingentibus impensis templa, monasteria et episcopatus Christi servis fundarent et dotarent, juxta id Ps. LXXI. *Coram illo procedunt Æthiopes, et inimici ejus terram lingent.* *Reges Tharsis et insulæ munera offerent, etc.* Nonne hæc insignis victoria; efficere ut extremæ nationes ad Christi pedes veniant, ejus vestigia lambant et leges acceptent? Effecit etiam ut tyranni omnibus suis machinis et molitionibus in nihilum recidentibus Christo, quem extinctum ibant, palmam cedere, et se victos tandem asserere deberent. Sic enim Diocletianus et Maximianus imperatores ob efflorescentem christianam religionem, quam tanta persecutione delere non poterant (licet de ea deleta vane gloriarentur) tabescentes imperium deposuere et privati sunt mortui, apud Baron. anno 304. Sic Teberianus præses qui primæ Palæstinorum genti præerat, ad Trajanum retulit se non parem esse Christianis occidendis, qui ultro supplicia appetent; unde Trajanus omnibus præfectis suis mandavit, ne eos supplicii afficerent, ut inquit Suidas, in histor. verb. Trajanus imperator. Sic Julianus apostata in prælio lethaliter vulneratus ad cælum exclamat: *Vicisti, Galilæe, vicisti*, Theodoret. l. IV. hist. eccl. c. XXV. Nonne hæc maxima victoria, debilitare et fatigare tyrannos, ut tandem Christianis cedere et regna sua concedere debuerint? Tametsi vero etiamnum Turca vexat et affligit Christianos, is tamen non aliter ac carnifex præ foribus civitatis, ad coercendos cives, veluti molossus pastoris ad retinendum in ordine gregem, a Deo præ foribus Ecclesiæ

retinetur, ut rebelles et ab Ecclesia profugas puniat gentes, quemadmodum fecit quatuor patriarcharum sedibus, etc.

Secundo, abstrahendo ei amatores suos, eumque contemptui exponendo. Effecit enim Christus ut mundus a plurimis sperneretur; servis Dei postponeretur et honorem deferre cogere; ab omnibus ejus fallacia et vanitas agnosceretur; ut de hoc prophetasse videatur per Nahum, c. VIII. quod ad litteram de Ninive dicitur: *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum; et revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam gentibus nuditatem tuam et regnis ignominiam tuam. Et erit omnis qui viderit te, resiliet a te, etc.* Quemadmodum enim Moyses vitulum aureum quem Hebræi pro Deo coluerunt, combussit et contrivit et de cineribus illius potum illis dedit, ut sic idolum suum vorarent apostatæ et contemnere discerent quod in secessum projici viderent, ait S. Hieronym. ad Fabiolam, Exod. XXXII. Sic fere mundo fecit Christus dum ejus vanitatem, turpitudinem et fallaciam ostendit, ut ita ab omnibus contemneretur, qui prius pro Deo quasi celebratur fere ab omnibus. Paulus mundi bona arbitratur ut stercorea. Inde tot reges et magnates, positis sceptris et tiaris, spretisque mundi deliciis, ad crucem Christi se adjunxerunt et sub ea militarunt.

II. Dæmones, ut ipsimet testati sunt apud Euseb. l. V. de præparat. cap. IX. et Plutarchum qui scribit, Epitherse Echinadas insulas præternavigante vocem ex quadam insula ad eum profectam; nuntiarent magnum Pana mortuum esse; quam gemitus inenarrabiles immensique ejulatus consecuti sunt. Magnum vero Pana principem dæmoniorum intelligebant. Testati ethnici Gazæ, quando S. Hilarion incantationes et præstigias dæmoniorum, qui opera magi equos ejusdem ad certamen Circense destinatos carminibus ligarant, dissolvit aqua benedicta; exclamarunt enim: *Marnas a Christo victus est*, apud Baron. anno 362. Marnas autem idolum Gazensium erat. Vicit autem Christus dæmones; primo, alligando Luciferum cum cohorte sua ne adeo in homines dominari, sicut antea, tamquam minister divinæ justitiæ, posset. Unde post Christum non potuerunt amplius reddere oracula et per præstigias homines decipere; sicut olim cum, v. g. idolum Minervæ in igne illæsum mansit, cum Apollinis statua flevit; cum deorum simulacra sibi mutuo loco cesserunt, vocem ediderunt, futura prædixerunt, etc. ut refert S. August. l. III. de civ. c. VII. et XI. et l. IV. cap. XXIX. Postea enim nihil tale poterant præsentibus præsertim viris sanctis vel etiam

aliis Christianis, uti Daphneus Apollo apud Antiochenos, praesentia corporis S. Babylae martyris impeditus, apud Sozom. I. V. hist. cap. XVIII. Serapis, praesentia S. Apollinaris, apud Sur. in ejus vita. Et alia oracula teste Constantino M. apud Euseb. in ejus vita, l. II. c. XLIX. Adeo ut idolorum pontifices quando oraculum consulere volebant, prius clamarent: *Procul hinc sit lotus et unctus*, id est, baptizatus et confirmatus. Tandemque penitus conticuere, quemadmodum Plutarch. in l. I. de defectu oraculorum conqueritur. Multo minus nocere nunc potest hominibus immediate in anima, nisi ultro manus ei dent. « Alligatus est enim, (inquit S. August. ser. CXCVII. de tempore) tamquam innexus catenis canis et neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera securitate conjunxerit, et paulo post: « Latrare potest, sollicitare potest: mordere omnino non potest nisi volentem, etc. » Et S. Antonius dixit: « Dæmon sicut passer irretitus tenetur et constringitur a Christo; Christiani ergo Christo nixi, dæmonem non timeant, sed rideant. » Hæc Christi de dæmone victoria non absimilis est illi, quam obtinuit de Phrynone Pittacus. Cum enim Athenienses et Mitylenenses ob agri possessionem dimicarent, Pittacus Mitylenæus unus ex septem sapientibus, solus ipse, ne tot homines in prælio perirent, cum Phrynone Atheniensium duce singulari certamine congregiens, Phrynonem reti, quod sub clypeo clam gerebat, involvit et irretitum occidit. Ad eundem fere modum Christus suæ divinitatis potentia, quam ipse occultam gerebat, diabolum irretivit, ut jam illaqueatus parum nocere et facile superari queat. Ad hæc diabolus similis est urso ad stipitem alligato, qui licet in catena sua circumeat rugiens, neminem tamen lædere potest, nisi quem intra suum circulum stantem rapuerit. Unde S. Petrus ait eum circuire tamquam leonem rugientem.

Secundo, licet adhuc tentare homines et quandoque etiam infestare possit; hoc tamen primo totum cedit hominibus ad majus meritum; atque ita dæmon servit potius Christianis, quam imperat, quia promovet eos ad majorem gloriam. Ideo Luc. VIII. Dominus non amandavit dæmones in abyssum, sed permisit eis in terra manere et intrare porcos ut homines per eos probatores fierent, ut ibi Theophylactus ait, quia ubi non sunt certamina, ibi non sunt coronæ. Hinc compelluntur in obsessis sæpe vera narrare, et aliquos torquere vel terrere ad aliorum cautelam. Sic B. Stephanus episcopus circa annum 1210. obtinuit a Deo ut dæmones horribili specie spectandos se præberent populo suo, qui

dominicis et festis diebus morabatur in tabernis, foro, teatro, ut sic vel inde expulsus ad templum veniret. Quos cum cerneret homines, dixit illis episcopus: *Hi sunt, quos sequimini, ego misi eos ad vestrum terrorem*, Sur. 7. septemb. Sic B. Bernardus et alii innumeri coegerunt eos in obsessis veritatem edicere de cælo, inferno, etc. ad cautelam Christianorum; quomodo miles ab hostibus interceptus cogitur enuntiare quid agat, possit, cogitet hostis, etc.

Secundo, dæmonum infestatio sive corporalis sive spiritualis facile pelli potest. Corporalis quidem signo crucis, nomine Jesu et Mariæ, minima re consecrata, ut aqua benedicta, agno Dei, etc. Imo audito solum aliquorum sanctorum nomine ut S. Antonii, territi fugabantur et ejiciebantur ut scribit Athanas. in vita S. Antonii. Expelluntur adhuc in Ecclesia ab obsessis, et domibus, et certis alligantur locis. Simeonis Stylitæ imagines tantum, vim pellendi dæmones habebant, quas in hunc finem Romæ Catholici ponebant in officinis suis, ut scribit Theodoretus, in Philoth. c. XXVI.

Spiritualis vero, quia sufficientia arma in Ecclesia ad resistendum illis et exsufflandas eorum tentationes. Consule confessarium; dic: *Vade Satana. Resistite diabolo et fugiet a vobis. Invoca Deum.* « Mihi credite, (dicebat S. Antonius) fratres, pertimescit Satanus piorum vigiliis, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam et humilitatem, maxime vero ardentem amorem in Christum Dominum, cujus unico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit. » Hoc ipse quotidiana fere experientia edoctus dæmonem in forma gigantum, leonum, ursorum sibi apparentem irridebat dicens: *Si habes potestatem a Deo in me, exere, ecce ego; si non, quid frustra conaris me hisce monstrosis phantasmatibus territare, qui nihil potes?* S. Hilarion et ipse sæpe mire ab eo infestatus, audiens aliquando strepitum armorum cernensque rhedam ferventibus equis super se irruere, inclamat Jesum, et omnia mox evanescent. Alius dæmonem cameli specie ferocientem et accolæ percipientem, adortus dicebat: *Non me terres, diabole, tanta mole corporis: et in vulpecula et in camelo unus atque idem es.* Alia die Orionum virum primarium legione dæmonum, obsessum et in se irruentem arridens hac voce compescuit: *Sinite et mihi meum palæstritum dimitte*, atque plantas utroque calcans pede: *Torquere*, ait, *dæmonum turba, torquere.* Cumque is ejularet, miserum a dæmone solvit. Alia vice cum dæmonem ab amasio in puellam immissum pelleret, isque clamaret: *O cruce, o tormenta, quæ patior! Exire*

*me cogis et ligatus subter limen teneor. Non exeo nisi adolescens, qui tenet, dimiserit; dixit ei insultans: Grandis fortitudo tua, qui licio et lamina strictus teneris*, Hieron. in ejus vita.

III. Peccatum. Primo, omnia nostra peccata submergendo in baptismo. Cujus rei figura erat submersio Pharaonis et exercitus illius in mari rubro, significans peccatorum deletionem in sanguine Christi, quemadmodum prædixit Michæas, c. VII. dicens: *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Porro victoriam illam de peccato (uti et de mundo, dæmone, morte, inferno) obtinuit in cruce; ubi *delevit chirographum peccati*, id est, reatum pœnæ æternæ quod erat contrarium nobis et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, inquit apostolus ad Coloss. II. quasi dicat: *Perforavit, cassavit, annullavit.*

Secundo, quia nunc per gratiam facile a peccatis nobis cavere; et si in ea rursus incidimus, resurgere per penitentiam possumus. Ut enim per aspectum serpentis ænei liberati sunt statim illi qui a serpentibus ieti fuerant, Num. XII. ita si per fidem et contritionem aspiciamus Christum in cruce, mox sanamur a peccatis etiam lethalibus. Atqui venenum vicisse reputatur qui theriacam ad manum habet, præsentissimum veneno remedium; vicisse labyrinthum, qui filum gerit, quo regressum mox invenire seque extricare queat. Hujusmodi theriaca et filum est penitentia.

IV. Mortem. Primo, quia post triduum seipsum a mortuis suscitavit, imo et aliorum sanctorum corpora, et nos tandem omnes in die judicii suscitaturus est. Fecit morti Christus quod ichneumon crocodilo, nam ut scribit Plinius, l. VIII. c. XXV. « Hunc saturum cibo piscium, et semper esculento ore, in littore somno datum, parva avis, quæ trochilos ibi vocatur, rex avium in Italia, invitat ad hiandum pabuli sui gratia, os primum ejus assultim repurgans, mox dentes et intus fauces quoque ad hanc scabendi dulcedinem quam maxime hiantes: in qua voluptate somno pressum conspicatus ichneumon per eadem fauces ut telum aliquod immissus, erodit alvum. » Hæc Plinius. Atque ita ichneumon vivus iterum emergit, crocodilus ventre perforato moritur. Hunc in modum Christus ut fauces mortis insiliit et alvum ejus perrupit, inde vivus egressus est egredienturque omnes quotquot deinceps fauces ejus ingressuri sunt, atque ita mors enecta suisque viribus spoliata est.

Secundo, quia etsi relicta in mundo est mors, ea tamen justis non tam mors, quam vitæ janua et quasi arcus triumphalis est, seu nativitas ad vitam æternam. Valerianum imp. subjugarat rex

Persarum Sapor, qui quamdiu vixit Valerianus, incurvati ejus cervicibus pedem imponens equum ascendere consuevit, ut ait Sextus Aurelius. Similiter et mors ita a Christo subjugata est, ut scabellum nobis facta sit ad conscendendam cœlestem beatitudinem. Unde si absit mortis stimulus, peccatum nihil omnino nocere potest; sicut apis stimulo carens, cui illudere possunt pueri, quomodo et morti illudebant sancti, pueri et puellæ, qui eam etiam provocarunt, uti S. Ignatius bestias. « Quod si venire noluerint, dicebat, ego vim faciam, ego urgebo ut me devorer. Ignoscite mihi, filii, quid mihi prosit, ego scio. » Ita S. Bernardi frater Gerardus in morte exultans mortique insultans obiit, ut scribit S. Bern. ser. XXVI. in Cant. de ejus obitu subditque: « Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Jam non est stimulus sed júbilus. Jam cantando moritur homo et moriendo cantat. Usurparis ad lætitiæ mater mœroris, ad introitum regni porta inferi, et fovea perditionis ad inventionem salutis idque ab homine peccatore. » Causam subdit: « Juste mirum quia tu inique in hominem innocentem et justum potestatem temerariam usurpasti. Mortua es, o mors, et perforata hamo, quem incauta glutisti, etc. »

Denique, quia in eo fortiter superanda exercetur justis ad meritum eumulum et gloriam. Sic multoties in venatione retinetur lupus vel ursus vivus ad exercendos canes in spectaculum principis. In hoc duello omnium difficillimo ostenditur cujusque virtus; in hoc agone spectator est Deus et omnes cœlites. Audi Chrysost. hom. IV. in ep. ad Hebr. « Illi qui per omnem vitam sub timore mortis angebant et serviebant, iidem ab eodem liberati et derident eam quam illi horrescunt. Tale est hoc, quale se venatum aliquem producendum ad mortem et semper hoc expectantem quisquam pinguem reddat ex multis deliciis. Tale aliquid erat mors antiquo tempore; nunc autem velut si quisquam illum timorem excludens, cum deliciis agens pronuntietur pugnaturus et proponat agonem, ut jam non ad mortem sed ad regnum adducatur: Ex quibus esse volebas? Ex his qui in custodia pinguescerent quotidianis cibus sententiam sui interitus expectantes? An ex illis pugnaturis quidem multis et laboraturis ultronea voluntate ut diadema tanti regni suscipiant? » Hæc ille. Non dubium quia nemo non malit in prælium descendere et cum hoste dimicando mori, quam instar porci impinguari ad jugulum posteaque jugulari, vel instar rei capitis necari. Illud enim fortitudinem continet et laudem hæ-